

Letter 93: After 22 April 1521, Worms, Albert of Brandenburg to Valentin von Teteleben

The manuscript of Capito's draft is in the Archive municipale, Strasbourg, AST 40, # 36.

[Ex comitibus: Nobis sincere dilecte.]¹ Post ultimas literas tuas, quas accepi nudius quartus, nobis pertulit D. Hieronymus Aleander bullam Hallensem, et in negotio legationis et tituli S. Petri ad Vincula mitto literas caesariae maiestatis; utere deinde patrocínio reverendissimi domini Cardinalis de Medicis, reverendissimi Sanctorum Quattuor, domini Capuensis, et oratoris caesarii,² sed quantum potes incumbe, ut plus quam per unum annum concedatur, quo tamen negato, ad unius anni legationem convertere. Item pridem etiam de titulo S. Petri ad Vincula literas nostras acceperisti, quas e Maguntia scripsimus, et haud dubium adhuc offenderunt Romae reverendum cardinalem de Medicis. Bene autem mones, quod citius sit respondendum, et id operae nunc meis dedi; verum satis tempestiviter responsum fuisset, si literae pervenissent sicut ordinarie deberent.

De ecclesia Havelbergensi adhuc stat sententia pro domino Hieronymo, Brandenburgensi episcopo, quamquam vehementissime amplectamur nostros consanguineos, quibus illustrissimus marchio et princeps elector Joachim, frater noster carissimus, non minus quam nos ex vinculo quodam naturae videtur addictus eorumque commodum pro viribus promovet. Verum toties consensum est in Brandenburgensem, ut temere mutari nequeat. Praeterea Havelburgensis episcopus est velut minister fratri meo, et Germanis principibus consuetudo non est, ut de sua gente aulicos et servitores habeant,³ ut non tam contra Gumbertum sit, quam in splendorem eius istius petitionis denegatio.

Quod addis, dominum Capuensem in haec verba conclusisse, quod quemadmodum nos observamus pontifici et sedi apostolicae, ita vicissim sanctitas illius in negotio legationis et aliis gratificabitur: id vehementer probaremus, quia sic agimus omnia tantoque studio fructuose illi inservire cupimus, ut nihil dubitaremus, quin quidvis consequeremur ab eius beatitudine, si iuxta modum mei animi sanctitatis illius clementia mihi attemperaretur. Ceterum quoniam verba esse videntur de diligentia mea tanquam dubitantis, non nihil molesta fuerunt; idcirco expurges quidquid eiusmodi suspicionis in nos forte inciderit, sicut tam procul verisimile est facile incidere posse.

Cum Fucceris agam de mille aureis Romae tibi numerandis pro expeditione coadiutoriae Halberstadtensis. Et pro viribus reverendissimo domino Cardinali de Medicis et Capuensi studebimus respondere officiis, quamquam possessionem propter difficultatem accedendi consequi nondum potuimus; quia vi prohibemur, vi nos in eam iam asserere proximis diebus conabimur. Similiter reverendissimo Sanctorum Quatuor aut nepoti ipsius in causa ut praecepturae⁴ in Hoest agimus partes nostras; si id parum cordi fuerit acceptare, non repugnabo experientibus iuri.⁵ Vereor tamen, ne hoc principum conventu conquerantur et quod aegre plus nunc possint numerare.

Non placet mihi, quod scribis de literis Galli pro Brandenburgensi, et omnium quidem pessime displicet, quod me istic procurator illius, homo ut videtur inconsultus, nititur vocare in

¹ The address is cancelled in the manuscript. Herrmann's text begins with 'dilecte', as does the Thesaurus Baumianus I, 152.

² Herrmann: Caesaris; ms: Caesarii.

³ Corr.: non habeant in Herrmann and ms.

⁴ Herrmann: praeceptoria; ms: praecepturae [?]

⁵ Herrmann: iuris; ms: iuri

suspicionem, quasi tanti mihi necessitudo esset cum Gallo; etiamsi nihil vereor, ne quis rem tam absurdam credat, et tamen misi responsionem meam et literas pro eo, sed a fratre quia interim nihil accepi, nihil potui mittere.

40 Indultum pro Diethero Wenck expedias et item tertiam sententiam contra abbatem Brunsvicensem S. Egidii. Preces tibi statuimus curandas etiam antequam id peteret episcopus Tridentinus et idem negotii Capitoni dedimus, ut is nos in tempore eius rei commonefaceret. De domino autem Camillo, ut nunc res sunt, nihil pollicemur; postea semel ex re praesenti despiciemus et pro viribus ob tuam petitionem conabimur illum voti compotem reddere. In literis alteris praeter alia scribis, quod D. Vuilielmus de Cassiodoro Berchmonensis, qui probe servierit pro iustitia, se nobis commendet, quem nostro nomine et verbis salvare iubeas.

45 Sanctissimus dominus noster libellum Martini a te versum legat. Verum interea semper magis atque magis insanit homo pervicacissimus et in utraque lingua indies atrociora scribit. At caesarea atque catholica maiestas pie et sancte agit et, ut spero, pro extinctione totius excitati incendii.

50 Per suffraganeum Erfordiensem instituimus inquisitionem contra abbatem S. Petri, ordinis S. Benedicti ibidem, qui totam visitationem usque ad finem aequo animo pertulit. At ubi pergendum ad executionem, interposuerunt capitulum ordinis tum illic congregatum, una cum abbate appellaverunt; quare observanter animadvertas, si quid Romae tentarint impetrare, ut saltem efficias, quo causa, sicut est de more, ad partes remittatur.

55